

ut omnibus hominibus, ita sibi etiam in particulari gratiam Dei, & remissionem peccatorum promeruisse, sed illi quoque Christi merito innititur & plena proæresi seu electione atque acquiescentia ipsi tanquam bono præseni insistit, idque Deo offert, ut hac ratione obtineat finem sibi propositum, h. e. ut aboleat offensam Dei ex peccatis ortam. Et hanc proæresin sive electionem aut acquiescentiam, Fiduciam dicunt Theologi, ex ipsius scripturæ effatis, quæ ut omnem fidem in aliquem ea de causa dicit *אֱמוּנָה בַּיְיָ* *sententiam fultam Esaiæ XXVI. 3.* & *ἠποσιωσιν* sive *acquiescentiam ac immotam Fiduciam erga promissiones divinas Hebr. XI. 1. Cont. Hebr. III. 14. I. Cor. IX. 4.* ita imprimis eam, quatenus ad abolendam offensam Dei ortam ex peccato tendit, ad hunc describit modum. Patet hoc ex loco *Rom. III. 25.* ubi dicit Paulus *justificamur gratis illius gratia per Redemptionem factam in Christo Jesu, quem proposuit Deus ἱλαστήριον placamentum per fidem in sanguine suo.* Cum enim Christum non quocunque modo spectatum in illis verbis Apostolus objectum fidei constituat, sed ut *ἱλαστήριον* aut placatorem iræ divinæ propositum in sanguine suo, quod fit ratione satisfactionis suæ, quam effuso sanguine suo pro peccatis nostris præstitit: patet sane fidem, qua gratiam & remissionem peccatorum apud Deum per Christum impetramus, esse fidem in Christum mediatorem, quatenus per effusum sanguinem suum remissionis peccatorum apud Deum causa meritoria est, in quâ causa meritoria, qui plena proæresi ac electione acquiescit, ille remissionem peccatorum consequitur & ex offensâ placatum nanciscitur Deum, propter illam scilicet causam meritoriam, in quâ fiduciam suam collocavit. Confirmatur id ipsum exemplo Abrahami, quod adducto dicit Paulus *Rom. IV. 1. seq. ei, qui credit, in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* Is enim qui justificat impium, Deus est, ju-